

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4177

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Eu, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1256, novembre

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime et confirme la charte de donations faites par Alphonse, comte d'Eu, et sa femme Marie à l'abbé et aux chanoines d'Eu.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1194, p. 328.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos litteras christianissimi consanguinei et fidelis nostri Alfonsi, comitis Augi et Francie camerarii, et Marie, uxoris ejus, ejusdem loci comitisse, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, Alfonsus, filius Johannis regis Jerusalem, comes Augi et regni Francie camerarius, et Maria, uxor ejus, ejusdem loci comitissa, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos, pro salute animarum nostrarum et omnium antecessorum nostrorum, concedimus viris religiosis abbati et canonicis de Augo XX libras turonensium annui redditus percipiendas singulis annis in molendinis nostris de Criolio, quem quidem redditum bone memorie domina Johanna de Augo, amita nostra, eisdem religiosis in testamento suo legavit ad unam capellaniam pro ipsius anima faciendam. Concedimus etiam dictis religiosis totum illum redditum quem ipsi emerunt a domino Johanne Strabone, milite, defuncto, et antecessoribus ipsius. Quicquid insuper predicti religiosi acquisierunt usque ad presentem diem in comitatu Augi, in bourgagio sive extra bourgagium, tam per emptionem, donationem aut per elemosinam eis factam, quam per escambium, concedimus eisdem. Et ut predicta omnia predicti religiosi ac successores eorum quietius et liberius im perpetuum possideant, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, salvis tamen redditibus qui nobis seu hominibus nostris debentur de predictis. In cujus rei robur et firmitatem, presens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Parisius, anno Domini M° CC° L° V°, mense februarii, in crastino Beati Mathie apostoli.

Nos autem, ad petitionem dictorum comitis et comitisse, predicta omnia, prout superius continentur, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius, anno Domini M° CC° L° VI°, mense novembri.